

et sine omni spe melioris resurrectionis subditi corruptioni, hac præsentī futuram auspicantur. De sepulcris eorum dicere cœperam, quod quantum a spurcitiā illorum abhorret florentium, species horticorum, tantum, imo incomparabiliter amplius distat oblectatio spiritualium a voluptate gaudiorum carnalium.

2. Vos igitur, ni fallor, estis qui in hortis habitatis, qui scilicet in lege Domini meditamini die ac nocte, et quot sententias ligitis tot hortos perambulant; quot sententias eligitis, tot poma carpitis. Et beati quibus omnia poma nova et vetera servata sunt: id est, tam prophetarum, quam evangelistarum, vel apostolorum eloquia reposita sunt, ut et unicuique vestrum, illud sponsæ ad sponsum videatur dictum, *Omnia poma, nova et vetera, dilecte mi, servavi tibi* (Cantic. vii, 13). Scrutamini igitur Scripturas. Vos enim non falso vitam in ipsis putatis vos habere, qui **1015** nihil aliud in illis quæritis quam Christum, cui testimonium perhibent Scripturæ. Beati plane qui scrutantur testimonia ejus: in toto corde exquirunt eum. Mirabilia testimonia tua, Domine; ideo scrutata est ea anima mea (Psal. cxviii, 2, 129). Scrutinio quidem opus est, non solum ut eruantur mystica, sed etiam ut sugantur moralia. Ideoque vos, qui perambulant hortos Scripturarum, nolite negligenter et otiose transvolare; sed scrutantes singula, velut apes sedulæ mel de floribus, spiritum de sermonibus colligite. *Spiritus enim meus*, inquit Jesus, *super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum* (Ecclesi. xxiv, 27). Ita probantes quid sapiat manna absconditum, eructabitis illud Davidicum: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua! super mel et favum ori meo* (Psal. cxviii, 103).

3. Ab his hortis in alios, ubi requies secretior et voluptas beatorum, et species mirabilior, sponsus, ni fallor, vos introducit, cum intentos laudibus suis in voce exultationis et confessionis, rapit in locum abernaculi admirabilis usque ad domum Dei, lucem scilicet et inaccessibilem, ubi habitat, ubi pascit, ubi cubat in meridie. Si enim devotio psallentium et orantium habet aliquid de illa pia curiositate quærentium. *Rabbi, ubi habitas?* puto quia merentur audire, *Venite et videte. Venerunt*, inquit, *et viderunt, et apud eum mansuerunt die illo* (Joan. i, 38, 39). Quamdiu apud Patrem luminum sumus, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio; noctem nescimus, tantummodo de beato fruimur. Cum inde labimur, in noctem nostram recidimus. Heu mihi! quam cito defecerunt dies mei, quam cito sicut fenum arui, qui quamdiu fui in horto cum illo, sicut paradisi Dei viri et flori! Cum illo hortus voluptatis: sine illo locus horroris et vastæ solitudinis. Existimo enim qui in hortum illius intrat, quod et ipse hortus fiat; sitque anima illius velut hortus irriguus, ut et sponsus in laudem ejus dicat: *Hortus conclusus, soror mea sponsa*

(Cantic. iv, 12). An non sunt hortus, in quibus fit quod ipse hortulanus loquitur plantationi, quam plantavit Pater suus? *Audite me*, inquit, *divini fructus, et quasi rosa plantata super rivus aquarum fructificate* (Ecclesi. xxxix, 17). Quasi Libanus, odorem suavitatis habete. Florete flores quasi liliū, date odorem, et frondete in gratiam.

4. O Domine Jesu, vere hortulane, operare in nobis quod exigitis a nobis; nam sine te nihil possumus facere. Tu enim verus es hortulanus, idem creator qui cultor vel custos horti tui, qui verbo plantas, spiritu rigas, virtute incrementum das. Errabas, Maria, quæ eum existimabas hortulanum illius horti pauperis et exigui, in quo sepultus fuit. Hortulanus est totius mundi, hortulanus est cæli, hortulanus est Ecclesiæ, quam hic plantat et rigat, donec incremento consummato transplantet eam in terram viventium, secus decursus aquarum viventium, ubi non timebit cum venerit æstus, sed erit folium ejus viride, nec aliquando desinet facere fructum. Beati qui habitant in illis hortis tuis, Domine! in sæcula sæculorum laudabunt te. Paulus habitabat in illis, ejus conversatio erat in cælis: qui mente sæpius excedens perambulabat paradysum beatæ voluptatis, hortos deliciarum Dei, ubi et pertransiens rosas Martyrum, et lilia Virginum, desinens etiam mirari altitudinem cedrorum Dei delectabatur potius carpere de fructu ligni vitæ, quod est in medio paradisi, in ipso nimirum gustans plenius et feliciter quam suavis est Dominus. Ideoque cum inde redibat, amicis auscultantibus memoriam abundantis suavitatis ejus profusus eructabat, et ex abundantia cordis os redundabat. Quia enim sicut adipe et pinguedine repleta erat anima ejus, ideo labiis exultationis laudabat os ejus. Cor quippe sapientis erudit os ejus, et labiis illius addet gratiam (Prov. xvi, 23). Eructabat itaque cor ejus verbum bonum, ac de bono thesauro bonus bona proferebat, sponsumque ipsum qui in amicis auscultabat, velut jucundo carmine oblectabat. Prorsus carmen jucundum, suavisque melodia, ubi tam canorum Spiritus sancti organum, tanta morum et sermonum consonantia, tanta dulcedine amoris, tanta gratia oris Christum Jesum jubulum cordis sui personabat. Si enim lingua suavis vim carminis non haberet, scriptum non **1016** esset: *Tibia et psalterium faciunt suavem melodiam, et super utraque lingua suavis* (Ecclesi. xl, 21). Si carmine hujusmodi Psalmista Deum oblectari nesciret, nequaquam diceret: *Jucundum sit ei eloquium meum* (Psal. ciii, 31). Sed nec ipse sponsus diceret: *Fac me audire vocem tuam; sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua suavis* (Cantic. viii, 13, et ii, 14), quia exaltationes Dei in faucibus tuis, tanquam habitantis in hortis, in deliciis paradisi. E contra vero, *Non est speciosa laus in ore peccatoris* (Ecclesi. xv, 9), qui habitat in sepulcris. Cujus enim vita Deum exasperat, lingua non delectat, sed ter-

ribilliter increpatur voce divina: *Quare tu enarras justitias meas; (Psal. xlix, 16.) Cantica lyræ tuæ non audiam* (Amos v, 25).

5. Sed quoniam Scriptura quam assumpseram in excusationem sermonis, occasionem et materiam ministravit sermonis; si placet, finiamus quod de illa cœperamus. Dupliciter itaque potest intelligi, quod a sponso dicitur, *Quæ habitas in hortis, amici auscultant, fac me audire vocem tuam*: vel quod devotum amatorem invitet ad psallendum vel orandum; vel quod sanctum prædicatorem excitet ad loquendum. Quod ut magis persuadeat, amicos auscultare memorat, angelos scilicet orantem vel psallentem; fideles prædicantem. Ubi primo intuemur, qua disciplina cordis et corporis nos oporteat in conspectu angelorum psallere vel orare, ne vacui dimissi vacuos nos dimittant, qui venerant ut vota deferrent, et dona referrent; imo recedant inimici qui venerant amici. Quinimo sponsus ipse, qui stat ad ostium et pulsat, si nulla ei digna devotio de intus respondens aperiat, recedet conquerens, et dicens: *Attendi et auscultavi, nemo quod bonum est*

loquitur *Nullus est qui agat pœnitentiam super peccato suo, dicens: Quid feci? omnes conversi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens in prælium* (Jerem. viii, 6). Si autem prædicatorem exhortatur, fiduciam ei loquendi tribuit de benevolentia et attentione auditorum, quia scilicet non increduli obloquuntur, aut litigant; non æmuli detrectant, aut subsannant; non tepidi dormitant, aut oscitant: sed amici attentim auscultant, quorum amor et meritum possit evangelizanti impetrare verbum et spiritum. Et bene amici auscultant. Est enim velut proprium amici, scilicet quod devotus audiat vocem sponsi, sicut Joannes ait: *Amicus sponsi est qui stat, non vagans animo, aut prostratus somno, audit et gaudet gaudio propter vocem sponsi* (Joan. iii, 29). quam agnoscit etiam in servis. Et nos itaque inde probemus nos amicos, ut sive per os loquentis, sive legentis aut cantantis vox sponsi sonuerit, sic stemus ad audiendum, quatenus auditui nostro det gaudium et lætitiā; et non solum cum gaudio, suscipere verbum, sed et fructum afferre in patientia.

His Guericci sermonibus in Bibliotheca Patrum, tomo XIII editionis Coloniae, quinque alii subjiciuntur hæcenus recensiti inter Bernardi sermones de Diversis, nimirum 8, 28, 73, 76 et 79, quos Horstius Guericco adjudicat, eo quod desiderentur in manuscripto Coloniensi. Vide quid de his dictum sit in præfatione ad tomum tertium ubi discussio facta est sermonum de Diversis, et in proprio eorum loco. His porro Guericci Sermonibus visum est subjicere Nicolai monachi Claræ-Valleensis Sermonem de beata Maria Magdalena, inter Bernardinos antehac editum, quem suo loco inter Nicolai sermones tomo quinto per oblivionem omisimus. Unus est ex novemdecim illis sermonibus, quos Nicolaus Henrico Campaniæ comiti nuncupavit; totusque conflatus est ex Bernardi sermonibus in Cantica.

## NICOLAI CLARÆ-VALLENSIS

## SERMO IN FESTO BEATÆ MARIE MAGDALENÆ.

1. Hodie misericordia et veritas obviaverunt sibi, et multitudo miserationum Domini in peccatricem feminam refusa est. Filius enim Virginis, peccatriceis et menstruatæ manibus attrahatur, Deumque Dei Filium mulier infrunita contingit. Tangit pedes mundi **1017** atque mundantis, immunda; et vestigiis Creatoris mulier criminosa procumbit. Transit in affectum cordis prævaricatrix, et redit ad cor: et scelerum magnitudinem lacrymarum multitudo condemnat. Dissimulat pietas tangentis officium, et obsequiorum instantiam remuneratorius ille majestatis oculus felici dedignatione non aspicit. Osculatur Maria pedes Christi frequentibus osculis, et oculis inundantibus vestigia Redemptoris infundit, tergit crinibus, odoriferis illinit et irrorat unguentis. Videt et invidet singularitatis amator, et utrumque redarguit Pharisæi jactantia, illum ignorantia, præsumptionis istam. Sed deliberans providentia suspendit judicium, dum affectat obsequium; et invectivam retinet præparatam, donec Mariæ sacrificium in holocaustum pertranseat. Gaudent Angeli super peccatrice pœnitentiam agente, et odoris

fragrantia cœlestis ille conventus aspergitur, salvantemque et salvandam tota misericordiae dulcedo perlingit [Al. præcingit.] Ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia (Rom. v, 20), et numerositatem criminum præponderans pietas intercludit. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, in peccatriceis confessione! quam justa reprehensio in Pharisæi superbia et abusione! Enumeratur obsequentis obsequium, et per obliquum tangitur indignantis iniquitas, toto litterali cohærentia Simonis invidiam impugnante. Et quia ubi spiritus Domini ibi libertas (II Cor. iii, 17); dimittuntur illi peccata multa quæ multum diligit, immituntur illi qui multum negligit. Non erat satiat ab uberibus sponsæ, nec induerat compassionis affectum, legem relegens quæ misericordiam nescit, novit justitiam. Lex dura, duris et lapideis promulgata, parata percutere, nesciens misereri. Lex excludens pœnitentiæ locum, veniam negans, emendationis ignara. Lex vinum durum et acidum de botris amarissimis eliquatum, consecratum feritati, derivatum Israeli, Salvatori propinatum. Vinum de quo dentes bi-



bentium obstupescunt : non de genimine vitis illius, quod Salvator bibit novum in regno Patris sui.

2. Vere meliora sunt ubera Sponsæ vino isto (*Cantic. i, 1*). Quænam sunt illa ? Procedat in medium Paulus apostolus, et ubera felici lacte manantia nobis assignet. *Gaudere*, inquit, *cum gaudentibus, flere cum flentibus* (*Rom. xii, 15*). O quam brevi sermone totius religionis depinxit insigne ! quam eleganti clausula proposuit pietatem, æquitatem statuit, submovit invidiam ! His uberibus mater Ecclesia lactat proficientes, nutrit perfectos. *Gaudere*, inquit, *cum gaudentibus*. Facessat hinc sæcularis plausus, insania et lætitia mundialis abscedat, quia *non est gaudere impiis, dicit Dominus* (*Isa. xlviii, 22*). Nunquid illorum os gaudio repleti æstimas, qui lætantur cum male fecerint, et exsultant in rebus pessimis ? (*Prov. ii, 14*.) Sed nec illi qui laudibus adulatoriis rapiuntur, divinæ jubilationis agnovere lætitiã. Nunquid qui vestiuntur purpura et bysso, et epulantur quotidie splendide, gaudium et lætitiã obtinebunt ? Absit ut in terra suaviter viventium gaudiorum inveniatur materia, cum tantis alternationibus tota mundi facies immutetur, ut elevans allidatur, et respiret allisus ! Sed est gaudium continua sibi jucunditate firmissimum, quod perfectus animus de secura sibi conscientia pollicetur. Meus enim ab hujus mundi aspergine pure presseque deteresa, et in divinæ contemplationis acumen totum desiderii sui figens affectum, gaudens gaudet in Domino, et exsultat anima sua in Deo salutari suo. Talis anima minas aspernatur, nescit timorem, spem falsam eludit, et omnium scandalorum immunis, in pace, in id ipsum dormiens requiescit. *Pax multa diligentibus legem tuam*, ait justus, *et non est illis scandalum* (*Psal. cxviii, 165*). Noverat enim quia lictores non persequuntur martyres, sed coronant. Cum hujusmodi gaudentibus gaudet Apostolus, et ut abundantius gaudeant, tota securitate promittit. Hoc gaudium certum et plenum est ; tantoque certius est, quanto vicinior circa identitatem imprimatur. Hæc est mammilla congratulationis, de qua lac exhortationis effunditur, quo nutriuntur perfecti, ut, cum avulsi fuerint a lacte isto, epulentur ab introitu gloriæ Dei.

3. Secunda est *flere cum flentibus*. Nunquid Apostolus **1048** præcipit flere rerum amissionem, intermissionem voluptatum, filiorum mortes, morborum instantiam, gravitatem inopiæ, pressuram fortiorum ? Absit ! Plorandi enim sunt, qui taliter plorant. Religiosa enim tristitia, aut alienum luget peccatum, aut proprium. Beati quorum luctus in hac intentione versatur, quia consolatoriam possunt in hac expectare dulcedinem. O quam leni et dulcissimo spiritu imbutus est spiritus illius, qui novit in spiritu lenitatis peccantem instruere, suspendere vindictam, et affectuosius officiis inviscerare ibi peccatorem, donec vitæ reddatur ! De hac com-

passionis mammilla lac consolationis exprimitur, et hoc lacte pascit Apostolus illos, qui solido cibo vesci non possunt. Amator innocentia, pacis amicus, patientibus compatiens, et congaudens gaudentibus, perfectionis metam cursu consummato contingit. Hæc sunt ubera lacteis irrorata liquoribus, meliora vino, lacte dulciora, misericordiam sonantia, redolentia pietatem. *Fragrantia*, inquit, *unguentis optimis* (*Cantic. i, 2*). Digna prorsus ubera, de quibus eliquatur unguentorum infinitas, odorata difflusione civitatem Dei viventis circumquaque respergens. Hæc sunt unguenta, quæ regina Saba attulit in Jerusalem, de quibus dicit Scriptura : *Non sunt allata ultra aromata tam multa, quam ea quæ dedit regina Saba Salomoni* (*III Reg. x, 10*). Quam excellenter apposuit Optima Spiritus ille subtilis, qui totam sibi libri hujus rapit positionem ? Est enim unguentum bonum, quod Maria pedibus Salvatoris infudit : est et melius, quod eadem, si tamen eadem, super caput recumbentis effudit : est et optimum, quod et ipsa præparavit toti corpori Christi.

4. Primum unguentum contritionis est, de recollectione peccatorum, de spiritu contrito et contribulato descendens. Hoc infunduntur pedes illius qui ambulat super pennas ventorum : hic adorat Maria in loco ubi steterunt pedes ejus. Steterunt, inquam, qui validissima amoris manu pedem utrumque retinuit, donec utrumque perungeret, et audiret criminum remissionem, et dimissionem in pace. *Remittuntur, inquit, tibi peccata* ; et, *Vade in pace* (*Luc. vii, 47, 50*). Magnam prorsus miseriam magna misericordia diluit et abstergit ; et hoc quidem festinanter, quia sine ullo intervallo conjunguntur et lacrymæ peccatricis, et indulgentia Salvatoris. Remittuntur peccata, et in pace dimittitur ; ut et de præterito non sit sollicita, et secura de futuro. Pedes isti sunt misericordia et judicium : quorum alterum sine altero osculari vel temeraria securitas est, vel desperatio fugienda. Quis enim Dei misericordiam indesinenter attendens, non statim tepidioris vitæ quietem exoptet ? Cum enim recogitat universitatis Dominum formam servi pro servis suscipere, triginta et tribus annis operari salutem nostram in medio terræ hujus ; capi, ligari, lanceari, crucifigi, et hoc totum pati pro filiis hominum : statim deceptoriam spe sibi blanditur, et alludit ; gaudet observari in misericordia et miserationibus ; judicium nescit, ignorat justitiam, et puniendâ æstimat non puniri. Fallitur qui sic osculatur misericordiam pedem, ut pedem judicii non attendat ; qui totum de Dei pietate præsumit, hoc solum ad salutem sufficere credens, quod credit. Rursus cum abducit os, et judicii pedem crebrioribus oculis intertangit ; subcutitur carnis animæque substantia, et utriusque hominis statum vehementior aura percipit. *Horrendum enim est incidere in manus Dei viventis*, offendere Creatorem, nescire Dominum, recalitrare dominantis imperio,

qui habet potestatem corpus et animam mittere in gehennam. *Terribilis* certe, sicut ait Apostolus, *quædam expectatio judicii* (*Hebr. x, 31, 27*), quando ignis in conspectu ejus exardescet, et virtutes cælorum movebuntur, et vacillantibus conscientiis latitudinem mundi validissimus ignis aduret. Nihil prorsus terribilius, quam videre diaboli officinam plenam sanguine, cumulatam opprobriis, tormentis undantem. Quis hæc diutius cogitans non statim contremiscat, et in desperationis rotetur abyssum ? Non est igitur huic pedi morosius incumbendum, ne pietatis intuitum ferocia judicantis ocludat [*al. excludat*]. Utrumque igitur inungat pedem animæ poenitentis affectus, et nunc misericordiam **1049** amplectens, nunc judicium deosculans, contribulati spiritus offerat holocaustum. Vide Mariam judicii pedem fortiter attendentem, dum nobilis et lasciva mulier convivantium faciem non attendit, sed extenso corpore provolvitur pedibus majestatis, doloris plena, timoris impatiens, compunctionis jaculo vulnerata. Sed et misericordiam pedem labiis impressioribus osculatur, in cujus spe firmiter inhæret vestigiis Redemptoris [*al., accumbentis*], donec audiat, *Remittuntur tibi peccata tua*.

5. Sane pretiosum unguentum, quo non solum terrena domus, sed etiam cælestis aspergitur. Villissimæ tamen sunt species de quibus conficitur, et magna earum copia intra nostros hortulos poterit inveniri. Peccata igitur nostra plantata in conscientiis nostris, quorum multitudo numerari non potest, species ejus sunt. Ipsa igitur in mortariolo poenitentia, macerationis pistillo contusa, et respersa discretionis oleo, doloris igne supposito, et in aheni disciplinæ concocta, unguentum exhibent pretiosum, et acceptum pedibus Salvatoris. Compendiose autem istud conficimus, sapienter rerum occasionem penitus relinquentes. Et licet materia videatur indignior, interim tamen bonum est unguentum istud, quod domum replet, penetrat cælos, angelos lætificat, et beatæ civitati lætitiã refundit et gaudium. Hoc est sacrificium justitiæ ; quia sacrificium Deo spiritus contribulatus (*Psal. l, 19*).

6. Secundum unguentum est devotionis de recollectione beneficiorum Dei. Prorsus dignissima hujus unguenti compositio : et in istius comparatione prioris est conspersio vilipendenda. Ejus enim species de cælesti paradiso allatæ sunt, et in terra filiorum hominum nequeunt inveniri. Virtutes enim divinitus collatæ, et in mortariolo pectoris pistillo diligentissimæ meditationis contritæ, et exsultationis oleo superfusæ, suffuso igne justitiæ et in humilitatis aheni decoctæ, faciunt unguentum, et odore et virtute mirabile ; quod solum super caput Domini recumbentis possit effundi, et exhiberi reverentiæ majestatis. Sed et hoc recolligimus breviter ; illis qui multa de paucis excipere noverunt, verborum multitudinem reservantes. Notanda tamen utriusque differentia, et secundi sublimitas attendenda : quo-

niam illud et sacrificium Deo spiritus contribulatus ; et istud, sacrificium laudis, quod honorificat Deum. Pedes igitur unguimus Salvatoris, cum de peccatis compungimur : unguimus caput, cum de collatis virtutibus, virtutum largitori gratias cumulamus. Interstitii tamen morositas inter pedes esse debet et caput, quia profecto difficillimus et præsumptuosus saltus est a vestigiis ad verticem Domini transvolare, Neque enim eadem quæ unxit pedes, unxit et caput : cum illa meretrix nihil horum fecisse legatur, secundum illud, *Verte impios, et non erunt* (*Prov. xii, 7*). Unxit ergo Maria sanctum Domini verticem, profecto jam dilecta, jam familiaris effecta, longeque a peccatricis illius obvoluta vestigiis [*al., evoluta contagii*], quam infelix ille septenarius confundebat.

7. Porro, si duo præmissa unguenta tantæ dignitatis sunt, ut alterum pedibus, alterum complaceat capiti dominantis ; illud tertium quod optimum est et superexcellens, ubinam invenire poterimus ? Sed absit ut sponsa veritatis a veritate dissentiat, et tale aliquid habere se jactiet, quod habere non possit ! Est ergo tertium unguentum pietatis : quod est super omnia aromata morbis omnibus et periculis salutare, quodque nulli unquam pesti invenitur inefficax. De ipso namque sic legitur : *Maria Magdalene, et Maria Jacobi, et Salome, emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum* (*Marc. xvi, 1*). Videsne in prima fronte capituli propositum, quod non una vel duæ, sed tres vix sufficiunt ad emendum tantæ compositionis unguentum ? Intelligis quia non pedes, aut caput, sed totum Crucifixi corpus sibi vindicat ista confectio ? Confectio sine dubio pretiosa, quæ toti sufficiat corpori Creatoris. Et attende quia unguentum pedibus infusum, adeo dignatissima lenitate suscepit, ut Pharisæum murmurantem parabolica prolixitate convinceret, et retorto suggilaret exemplo (*Luc. vii, 39-47*). Sed et de refuso super caput ejus unguento discipulos indignantes coarguit, bonum mulieris opus esse potestans ; et tumidam eorum animositatem verbis compescuit moderatis. Hoc vero tam salubre, tamque mirificum, in **1050** mortuo suo corpore noluit expendi, quod viro utique reservabat (*Matth. xxvi, 10 13, et Marc. xiv, 6-9*).

8. Sunt viri divitiarum in domo Domini virtutum : investigemus an apud eos hujusmodi habeantur



unguenta. Primus occurrit mihi Paulus, sicut ubique solet, totus præsentis delibutus unguento. *Quis infirmatur, inquit, et ego non infirmor? (II Cor xi, 29.)* Felix anima facta sibi tanquam vas perditum, ut omnium miseras suas faceret, et in sua conscientia colligaret: totum se toti corpori Christi donaverat, omnibus omnia factus, ut omnes lucrificeret. Sed et ille simplex, et rectus, et timens Deum, vide quomodo non secundum hominem, imo vero hominem, et, quod verius est, supra hominem ambulabat. *Oculus, inquit, fuit cæco, et pes claudus; pater eram pauperum (Job. xxix, 15, 16), etc.* Qui sic eum hoc unguento perunxerat, ut de misericordiæ thalamo largius irroratus exiret. Samuelem recolo, qui non semel, sed omnibus diebus vitæ suæ lugebat super Saul, cum sciret illum longius ab oculis Divinitatis elongatum (*I Reg. xv, 35*). Non cessabat tamen compassio quæ condolentis animum irrepserat, fundens lacrymas, etsi non profuturas, tamen pias. David parricidam filium continua lamentatione plorabat (*II Reg. xiii, 37*), plorans in eo non carnis necessitudinem, sed fidei destructionem. Cerne quomodo Joseph totus hoc melle illitus erat. Veniunt fratres non jam ante fratrem, sed ante dominum assistentes, conscii proditionis, homicidii rei, fratricidii succensores. Videt eos Joseph, et omnium injuriarum immemor, dulcissimis fluitibus inundatur, et pietatis adeps qui intus latitat, foras per oculos emanat. Fugit odium, nescit iram, tempus iracundiæ non reservat; reddens bonum pro malo, pro crudelitate dulcedinem (*Gen. xlv*). Pene quin oblitus sim Moysen, adeo sacri liquoris hujus rore perfusum, ut totus ex eo superfundatur et profluat. Peccat Israel, et Moyses peccantem reconciliare nititur Creatori; sed dissimulat

**A** Dominus exaudire rogantem. Promittit plurima Moysi Creator omnium, et ferendi licentiam quærit a Moysen, qui Moysen fecit. *Dimitte me, inquit, ut irascatur furor meus contra eos, et faciam te in gentem magnam.* Respondit Moyses: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro quem scripsisti (Exod. xxxii, 10, 31, 32).* Obstupescenda profecto dulcedo! Et principatum respuit gentis alienæ, et de libro viventium deleri desiderat, nisi peccantibus dimittatur offensa.

9. Hæc sunt unguenta pietatis et misericordiæ, quæ a sponsæ uberibus eliquantur [*al. eliciuntur*], infirmitates omnes fugantia, profligantia passiones. Felix Maria unxit pedes Jesu: felicior eadem unxit caput auctoris: felicissima quæ rorem unguentarium toti corpori Christi præparavit. Considera quam vehementissimo dilectionis affectu beata hæc mulier diligebat Christum regem. *Domine, inquit, si tu sustulisti eum, dicito mihi, et ego eum tollam (Joan. xx, 15).* Quem eum, Maria? Cum de nullo feceris mentionem, ad quem relationem facias? Putasne quod in omnium cordibus versetur ita memoria dilecti tui, sicut et in consistorio cordis tui? *Et ego, inquit, eum tollam.* Mira res! Hominem perfectæ ætatis; virum cujus corpori vix centum libræ sufficiunt unguentorum, tenerrima mulier portabis et tolles? Ardens et affecta locutio, quæ de puritatis amore refusa, promittit quod implere non potest. Nihil enim amanti difficile esse videtur. Quis desperare debeat, tanta peccatrice non solum veniam, sed et gloriam consequente? Ipsa hodie intercedat pro peccatis nostris, et placatum nobis reddat Judicem nostrum amicum suum, qui est super omnia benedictus Deus in sæcula. Amen.

## VENERABILIS GUIGONIS

MAJORIS CARTHUSÆ PRIORIS QUINTI

## EPISTOLÆ QUÆDAM

### ADMONITIO.

Tres Guigonis epistolas Horstius in Appendicem retulit, propterea quod Guigo ipse magnam habuerit cum Bernardo necessitudinem, ut patet vel maxime ex epistola 11 ad eum scripta. His tribus epistolis quartam adjicimus ex tomo primo nostrorum Analectorum. Animus erat ejusdem Guigonis Meditationes, quæ in Bibliotheca Patrum exstant, et primaria Carthusiensium Statuta, ab eodem scripta, etiam exhibere hoc loco. Verum nos ab ejusmodi consilio revocavit plus justo jam excedens alienorum Operum congeries. De Guigone plura ad Bernardi epistolam 11.

### EPISTOLA I.

**AD HAIMERICUM CARDINALEM ET CANCELLARIUM.**  
Monet duos esse hostes, quibuscum maxime sit pugnandum, et contra Ecclesiæ adversarios non armis corporalibus, sed humilitate et pœnitentia utendum.

Domino et amico in Christo reverendissimo,

**D** sedis apostolicæ cancellario HAIMERICO, amici (si tamen dignum est) ejus, et sui Carthusienses fratres, terrena despiciere, et amare cœlestia.

Quam grata fuerit nobis vestra præsentia, etc. Vide Patrologiæ tom. CLIII, col. 595.

### EPISTOLA II.

AD HUGONEM S. MILITIÆ PRIOREM.

Docet qua ratione bellum spirituale sit agendum.

Domini et amicis in Christo charissimis ac reverendissimis, HUGONI Sanctæ Militiæ priori, et omnibus qui reguntur ejus consilio, servi et amici Carthusiæ fratres, spiritualium simul et corporalium christianæ religionis hostium victoriam plenariam, et pacem per Christum Domium nostrum.

Quoniam in revertendo, etc. Vide ubi supra col. 598.

### EPISTOLA III.

AD INNOCENTIUM PAPAM II.

Consolatur summum pontificem adversus schismatis molestias.

Domino et patri charissimo ac reverendissimo

**A** apostolicæ Sedis summo pontifici INNOCENTIO, servi et filii Carthusiæ pauperes, illam quam mundus dare non potest pacem; suæque paternitatis devotam servitatem, et non necessarium licet obsequium.

Multas ad vestri apostolatus sacratas aures preces, etc. Vide in Innocentio II ad an. 1143.

### EPISTOLA IV.

AD FRATRES DURBONENSES.

De supposititiis beati Hieronymi epistolis.

Amicis et fratribus in Christo dilectissimis, LAZARO Durbonensi [priori, et cæteris in eadem eremo Deo famulantibus, Carthusiæ prior vocatus

GUIGO, æternam a Domino salutem. Inter cætera catholicorum virorum, etc. Vide Patrologiæ tom. CLIII, col. 593.

## ADMONITIO

IN LIBROS SEQUENTES DE VITA ET GESTIS S. BERNARDI,

Ubi de illustri genere ejusdem.

**1057-1058 I.** *Vix quisquam sanctorum est, qui tot rerum suarum gestarum præcones, tamque eximios et probata fidei scriptores habuerit, quam beatus Bernardus: cujus vitam et præclara facta tres auctores clarissimi, continuato sermone, quasi ex condito sunt persecuti; nempe Guillelmus olim Sancti-Theoderici prope Remos abbas, sed tunc monachus Signiacensis, Ernaldus Bonæ-Vallis in agro Carnutensi abbas, et Gaufridus ipsius Bernardi notarius; omnes quasi testes rerum oculati. His accesserunt alii post eos; Alanus episcopus Autissiodorensis, et ut alios posteriores prætermittam, Joannes Eremita, et multi alii recentiores: quos inter Philotheus, verum an fictum nomen monachus Claræ-Vallensis, Bernardi gesta carmine cecinit.*

II. *Librum primum de Vita sancti Bernardi, vivente ipso Bernardo, sed nesciente, scriptum fuisse diserte asserit in Præfatione ejus auctor Guillelmus, pridem Sancti-Theoderici abbas, sed tunc jam monachus Signiacensis cœnobii in pago Regitensi diocesis Remensis, ad quod desiderio solitudinis et quietis sese contulerat, testante Burchardo abbate Balernensi in subscriptione ejusdem libri primi. Tempus Guillelmi secessus Signiacum intelligitur ex chartaceo Sancti-Theoderici libro, in quo Helinus abbas, ejus apud Sanctum-Theodericum successor, anno 1135 primum nominatur. Quo anno inchoatam sit a Guillelmo liber iste, non constat. Certe post translationem monasterii Claræ-Vallensis in capaciorem locum, novamque ædium fabricationem, ex num. 34 et 62; itemque post schismata Ecclesiæ sedata, et confutatas hæreses, ex num. 40; adeoque post annum 1140, et forte post 1145. Porro ante Bernardum obiit Guillelmus, de quo plura in tomo V, in Admonitione præfixa epistolæ ad fratres de Monte-Dei, et in Notis fusioribus ad epistolam 85.*

III. *Vitam a Guillelmo inchoatam mortuo Bernardo persecutus est secundo libro Ernaldus seu Arnoldus abbas Bonæ-Vallis, non ejus, quæ in diocesi Vesontionensi; neque alterius, quæ in Rutinensi rdnis Cisterciensis; sed illius, quæ est in agro Carnutensi Nigrorum monachorum: ad quem Arnoldum extrema Bernardi epistola 310 scripta est, quidquid alii in contrarium sentiant. Vide notas fusiores ad epistolam 310. Hunc librum adortus est Ernaldus rogatu Claræ-Vallensium, qui præ modestia hanc provinciam in ipsum rejecerunt, ut in Præfatione libri secundi testatur, qui opus imperfectum moriens reliquit.*

IV. *Superioribus duobus libris tres adjecit Gaufridus, non alius sine dubio quam ipsius Bernardi notarius: distinguendus utique a Gaufrido de Perona, cujus mentio in lib. vi, num. 16; itemque a Godefrido Bernardi consanguineo, et conversionis socio, postmodum priore Claræ-Vallensi, ac demum episcopo Lingonensi, qui tandem ad privatam Claræ-Vallensium vitam sese recepit, ibidemque mortuus est vi Idus Novembris anni 1164. Gaufridus vero in Præfatione trium sequentium librorum lugens scribit, post annos a sua ipsius conversione circiter tredecim, acerba morte ab se avulsum fuisse Bernardum; atque adeo Gaufridi conversio anno 1140 accidisse dicenda est. Is patria Autissiodorensis, ante suam conversionem Petri Abælardi discipulus fuit, et quidem clericus, ut patet ex libro Declamationum, cujus et ipse auctor est, num. 13: « Postremo et nos in clero fuimus. » Post conversionem Bernardi una cum Nicolao Claræ-Vallensi notarius, ac peregrinationum socius, dein Bernardo mortuo Igniaci primum, tum Claræ-Vallis post Fastredum abbas anno 1162, cui loco quadrienno circiter præfuit, ex Chronico Claræ-Vallensi apud Chiffletium: sed postmodum a suis vexatus, abbatiam dimisit anno 1165, et ad Fossam-Novam in Italia se recepit; ubi et abbas postmodum fuit, ac demum Altæ-Cumbæ, ut fusius in eodem Chronico legitur. Ibidem quedam ejus opera recensentur, nempe opus insigne super Cantica canticorum, Vita sancti Petri archiepiscopi Tarentasiensis, et plures alii libri et sermones. Exstat apud Baronium ejusdem epistola ad Henricum cardinalem et episcopum Albanensem, atque domini papæ vicarium seu legatum, scripta de quadam nova controversia, quam reversus in Galliam comperit, scilicet de substantia aquæ, quæ vino mista in calice offertur, an et ipsa similiter eum eodem vino in sanguinem Domini converta-*